

D. D.

43

APHORISMI OECONOMICO- POLITICI,

QUOS

suffragante Ampliss. Senat. Philos. In Reg. Acad. Aboënsi,

P R Ä S I D E

DN. PETRO KALM,

Oeconomiæ PROFESSORE Reg. & Ord.
Reg. Acad. Scient. Svec. ac Societ.
Litt. Upstl. SOCIO.

Nec non

Acad. h. t. RECTORE MAGNIFICO,
Ad Diem XXV. Maji MDCCCLVII.

P R O G R A D U

Publicæ bonorum censuræ subjicit

SIGFRIDUS PORTHAN,

ABOA • FENNO.

L. H. Q. A. M. S.

ABOÆ, Impressic Direct. & Typogr. Reg. Magn. Duc.
Finland. JACOB MERCKELL.



APHORISMUS I.

Sententiam recentiorum quorundam, de insigni *luxus* in republica utilitate, vel absonam omnino judicandam, vel multa certe limitatione egenum opinamur. Præterquam enim, quod morum doctrinæ, ne dicam Christianæ religioni, e diametro contrarietur, plenæ sunt historiae eversarum per luxuriam civitatum, molitiemque asegnitiem indivulsas eam habuisse comites uno ore loquuntur. Et certe, vel patriæ nostræ exemplum docet, luxum requirere, aut solum, omnium quacumque, ipsi inservientium rerum, copiam quotidianæ consumtioni respondentem, proferens, una cum statu florentissimo eorum *Publicæ Oeconomie* objectorum, quæ artes vitam sustinendi, nostro idiomate *Märingsfång* appellatas, in primis vero fabricas, concernunt, aut ex fabricis solis ut suppetant, quibuscum luxus illa instrumenta inter cives exteriasque na-

nationes sint commutanda. Quas tamen conditiones ulterius insipientibus confessim patebit, priorem quidem in eo, qui nunc est mundo vix dari, posteriorem vero, in civitatem luxui immersam haud cedere; cum crescentibus etiam utcunque opibus nunquam tamen defutura essent ingenia, novis prodigalitatis generibus excogitandis prave follertia, vel prestitum suum amissura illa, tam inimica Politicis, de terris procul sitis origines repetens mercium raritas. Neque adsunt rationes, quæ sperare jubeant, apud divites solos mansurum luxuriæ morbum, spiritus trahente apud inferioris fortis homines hosce, imitandi, cumque iis exæquandi pruritu. Ubi, sic jam præstruetis cæteris, dum quæstio oritur, unde demum desumenda, quæ luxui sustentando necessaria sunt, exiguis sane erit millenarius numerus, ad comprehendendos fontes istos, occurrentque oppressiones, illicitæ quæstus, avaritia, doli, fraudes, surta, rapinæ, caedes, & quæ non monstræ? prout in *Orat. pro Reg. Acad. Scient. Holm. anno 1743. habita.* quæ inscribitur: Om et Borgerligit samhâlles / eller et land och rikes rätta stycka / samt sätt och utvägat at komma dertil / in primis pag. 16. 17. & 18. egregie prorsus disserit illustrissimus BARO & CHILIARCHA H. J. WREDE. Quod vero absente luxu non ideo statim desinant vigere commercia aut res manuariæ, itemque, quantum præstet exteris vendere merces, quam domesticæ luxuriæ easdem consecrare, id sequens ostendet exemplum: Novimus statum fabricarum in Belgio fœderato novimus & in Gallia. Differentiæ

inter lacrum, quod ex hac fodina utraque natio consequitur, caussas alias variasque esse, licet forte negari nequeat, nulli tamen dubitamus, quin & in ea runderem censum optimo suo jure veniat major in Galliae quam in Batavorum finibus luxus, unde fit, ut pars non modica eorum, quæ in fabricis conficiuntur, domesticus usus, in fraudem publicæ utilitatis consumat. Nec denique fugere credimus eum, qui sanum habet sinciput, inter Guineæ Nigritiæque incolas, & nationem per leges sumtuarias a luxu munitam, quid intersit discriminis.

APHOR. II.

Non satis etiam mirari possumus, quod a sagacissimi ceteroquin ingenii, atque in hisce rebus exercitatissimis viris, pro eo, de quo modo egimus, paradoxo pugnantibus, affirmari videamus, caussam interitus imperii Romani, in luxu non esse quærendam. "Veriorem, inquit, hujus rei rationem Tacitus suppeditabit, ubi *invalido legum auxilio*, quæ "vi, ambitu, postremo pecunia turbabantur, id perire esse testatur." Unde autem, fodes, hæc omnia provenere, nisi ex luxuria? de qua non uno certe, sed pluribus in locis, ipse Tacitus conqueritur.

APHOR. III.

Ista vero omnia, quæ hactenus de *luxu* dicta sunt, de quovis in genere intelligi non debent, ita ut publicum etiam tangant, qui in ædibus extruendis, solennitatibusque, festis, epulis, atque ceteris, cuiuscunque demum generis sint, civitatis totius nomine

mine factis, sumtibus, conspiciendum se præberet, ac
majestati & dignitati reipublicæ, apud exterorū conservandæ, interdum necessarius est, impensas, quæ ad ipsum requiruntur, modo cum grano salis rem, penes quos potestas arbitriumque resident, acceperint, cum usura amplissima reddentes. Ubi tamen id efficere, legum erit, ut in quantum possibile, molestia fiat in privatis negotiis imitatio.

APHOR. IV.

Habito ad patriam nostram respectu, vulgarem illam quadripartitam Oeconomiae Publicæ divisionem in rem nimirum *Rusticam*, *Metallicam*, *Mannariam* & *Commercia*, hæc tenus quidem improbare non possumus. Quidquid enim, de *Venatu*, ut quinta parte, eodemq; in *Aquaticum* & *Sylvestrem* subdividendo, aliquos monuisse videmus, id stantibus, quæ sunt, regni legibus, juribusque & privilegiis ruricolarum, quin sub *Ruricultura*, non *Agricultura* (*Landstadsel* non *Akerbruk*) venatus comprehendatur, nihil impedit. Neque heic veritatem theseos infringere exemplum ab *ora maritima* (*Skären*) petitum putamus, quæ respectu continentis tanta non est, ut si pro leviuscula exceptione, communi fere regulas condentium fato, eandem agnoscere cogamur, ita multum inde periculi imminenter videatur.

APHOR. V.

Alia prorsus est quæstio, an expeditat publicæ rei, Piscaturam a Ruricultura divelli, ita ut non valeat amplius illud: *Then sem åger land / han åger och strand*, sed aliis terra, aliis aquæ colendæ tradantur; Hoc enim in casu, modo, qui nunc sunt, aquarum

dominis; quod demum est, pro rata parte refundatur, facile opinione conciliabuntur Piscaturamque partem *Oeconomiae Publicae* a *Ruriculura* diversam constitui posse, & pro quadrimembri quinqueremembrem emergere partitionem, facile concessuri erimus; Quin & ex ejusmodi distributione in rem publicam, maximum redundare utilitatem statuamus, tum, quod majori industria ars piscatoria sic excoli posset, tum, quod hujus vitæ generis homines, nullis aliis negotiis distracti, eo melius quamvis occasionem lucri ex profundo faciundi, captare possent. Quantum inde per nautas rei maritimæ a teneris adsuetos classis Regia sibi boni jure exspectaret, dictu opus non est. Talia vero omnia, cum impensas exigant maximas, quo usque in præsenti cum reliquis regni circumstantiis queant consistere, eorum, quorum pro ejusdem salute curam omnes intime veneramur, acumen prudentiamque postulant, sublimiora, quam ut nostrum patiantur forum.

APHOR. VI.

Hæc de venationibus aquaticis. *Sylvestres* autem, durante præsenti hominum in sylvis excidendis, non laudanda sane, industria, quamdiu & in quantum ejusdem prædicati sint capaces, quod nos attinet, in medium relinquentes, aliorum sagacitati committimus.

THES. VII.

Libertatem conscientiæ in republica ad numerum populi augendum, atque fabricarum in primis florēm, per allectos ad figendas inibi sedes exterorū, variarum

riarum artium peritos, promovendum, insigne esse
 medium, licet nulli dubitemus, omnimoda tamen,
 quæ quibusdam in deliciis est, non libertate certe,
 sed licentia potius, nullam fere esse ad exitium pro-
 niorem viam contendimus. In primis in ejusmodi
 sectas sedulo animadvertere e re est publica, quarum
 religio in negotia universitatis, per peculiaria, in bo-
 ni ordinis, nec non decori civilis ruinam tendentia,
 dogmata, pestiferum habet influxum, cuius farinæ
 fuisse *Anabaptistarum* deliria, non sinunt ignorare ali-
 quem, quas seculo XVI. in Germania excitarunt, tur-
 bæ: in hanc classem optimo suo jure etiam retuleris
 eas religionis, quæ *hierarchiam* redolent, vel omni
 inter homines fano gustui atque utilibus scientiis ob-
 icem ponere allaborant; prout esse *Papicolarum* il-
 lam, nullus negabit, qui vel paullulum ante sua tem-
 pora gestorum notitiam callet. Recentiori quoque
 ætate visa sunt eodem pertinere non paucis *Herren-
 butianorum* farraginis placita; ut de *Atheis* jam nihil
 dicam, hòrumque sociis cæteris, crassioris indolis
 male sapientibus fortibus spiritibus, quorum tam e-
 gregiam in genere hominum a molestissimo illo sa-
 na rationis jugo liberando nostra secula jactitant in-
 dustriam; quibusque, a damno civitati inferendo,
 prohibendis, post incasum consumtas admonitiones,
 remedium, exilio nullum forte datur salubrius. Ce-
 terum extra casus singulares, & in genere loquendo,
 optima circa hoc negotium cautio esse videtur silen-
 tium, cum turbarum excitandarum, & aliorum sedu-
 cendorum, interdictione, gravissimis poenis munita.

APHOR.

APHOR. VIII.

Polygamie, quam civitati noxiā esse, dudum agnovere saniores, nullum ex majoribus nostris præsidium peti posse, firmiter contendimus. Quin potius existimemus, vitium in calculo quibusdam hujus sententiæ patronis fecisse morem, priscis sollemnem, de terris circum sitis uxores vi raptandi; quo cum si coniuxeris effatum Jornandis, dicentis, Gothos, Vicinas gentes perpetuo subjugantes, suis illas applicuisse victorios, non ita arduum erit perspicere, cur scriptores in causa tam inexhaustæ multitudinis investiganda hallucinati, adeo singularem atque extraordinariam artois nationibus proliis fœcunditatem adscripserint.

SOLI DEO GLORIA !!!

